



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 7. Duo viri fulminibus liberantur. Duæ seminæ steriles sæcundantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

*Duo viri à fulminibus liberantur. Duae item  
feminae steriles fecundantur.*

*Cap. VII.*

*Ann. Laur.  
Rier.*

**H**Aud praesentior aduersus fluctus, quam aduersus fulmina tutela exstitit B. Mariae Lauretanæ. Antonius à Sancto Stephano castello Lucensis ditionis, atroci procella ingruente, turrim ascenderat, campanum æs de more pulsaturus. Ecce tibi fulmen è cælo ruens turrim enim Antonio deijcit, qui fulmine afflatus, ruinaque oppressus, quatuor horas iacuit exanimis, obrutusque ingenti cumulo saxorum. Plura eodem tempore pro Antonij salute vota à propinquis Lauretanæ Virgini facta, quæ haud irrita ceciderunt. Remoto lapidum aceruo, Antonius viuus, valensque inuentus est. Qui breui receptis viribus, Lauretum venit anno. M. D. LXV. Deiparæ vota reddit, expertam eius opem impensius prædicans. Huic aliud simile eodem fere tempore. Marcus Antonius Ficinus à Monte Feltrio Carpenianæ Paroeciæ Sacerdos turri conscensa, ære campano sacrificij signum dabat. Cæterum subito ictus fulmine Lauretanam inclamat Virginem. Ergo afflatis dumtaxat humeris, vestituque ambusto, ipse haud dubia B. Mariae ope saluus euadit. Propere igitur Lauretum accurrit, vota Deiparæ reddit, votiua tabellam nobilem, miraculi ad posteros testem relinquit. Nec minus abolita clarissimis feminis sterilitas Lauretanam Virginem eadem tempestate nobilitauit. Julia Roburea Alfonso Estensis Ferrariæ Ducis vxor complures in matrimonio annos cum viro transfegerat prolis experta. Ad vltimum damnatis medicorum remedijs, ad diuinum se conuertit auxilium. Itaque Lauretum venit, animoque rite expiato, Virginem implorat, stirpem virilem exposcens. Addit precibus votum, si filioli compos fiat, se ad Lauretanam

tanam

ranam Aedem cum muneribus redituram, aut si quis casus obftet, pios viros suo loco cum donis esse missuram. Concepto voto domum reuersa prolem concipit; felicique enixa partu pulcherrimum edit infantem. Protinus voti memor infantis effigiem egregie pictam in argentea lamina pondo librarum octo: donum Virgini misit, & addito dono titulus accepti beneficii testis.

ALPHONSVS ESTENSIS ALPHONSI F.  
ALPHONSI DVCIS FERRARIENSIS N.  
ORTVS IDIB. NOVEMB. A. MDLX.

Huius miraculi fidem aliud consimile adfirmavit. Bernardinus Sanseuerinus Bisiniani Princeps huius, qui nunc est, pater plurimis iam annis cum coniuge exactis, nullos ex ea liberos genuerat. Igitur medicorum, medicamentorumque spe diu frustratus mœrebat non modo expers, sed etiam expes prolis, quam relinqueret tantæ ditionis hæredem. Ad vltimum, quod natura negabat, sibi à Deo, Deiparaque precibus exposcendum ratus est. Voto nuncupato, Lauretum cum vxore contendit. B. Mariam ambo enixe orant, optatam sobolem exposcunt. Nec diu B. Virgo eorum spem morata est. Enimvero priusquam Laureto discederet Princeps, vxorem vterum ferre certis indicijs comperit. Ac breui constitit, eodem illam tempore, quo votum domi conceperat, optatam sobolem concepisse. Cæterum nescio quo casu id beneficium breue, ac fugax fuit. Princeps paucis annis, quam pater factus erat vnico orbatur filiolo. Nec tamen B. Virgo eius fefellit spem, votumque. Haud ita multo post alium genuit filium, qui patri superstes, nunc Bisiniani obtinet Principatum.

*Multis*